Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

perstare dignetur perseverantie fortitudine quo ad
usque felici consummatione iterum coronet agone.
Aliquantum igitur temporis elabitur cum theonestus in
dens paulinum ualidissimum ecclesie murum.
et solidissimam fidei columnam aduersus arria
norum impetus sufficienter posse persistere. et ad resis
tendum ipsi auctore sufficere. ratus id quod res deo in
spirante monebat. sese aliis eiusdem partis locis
necessarium. a paulino deliberat recedendum. Data
ergo et accepta benedictione. conscensaque naui per mosel
le fluminis decliuia. ad renum usque delabitur. deinde
christo se nauclero per ipsius reni pelagus prospero celeu
mate magontiam usque peruehitur. Huius nimirum regie
urbis mentionem quoniam et suscepti operis decursus et re
rum inibi gestarum historice iniecit stilus. non abre
uidetur si de primis eius conditoribus deque situ et amenitate
loci. quo uel modo rerum quas dicere conamur series ibidem
processerit succincto sermone summatim attingitur.

Haec igitur auguste nobilitatis ciuitas primo iu
lium quondam qui totam galliam ac partem germanie
decennio armis subegit deinde drusum
augusti priuignum. aliosque romanorum principes habu
it conditores et possessores quia uidelicet romani terra ma
rique uictores hoc speciale priuilegium sue ascribebant
potentie ut quamcumque gentem uel regionem armis sub
icerent. statim eo loci municipia. urbesque. arcesque
fundarent deductique coloniis. ad tuitionem regni
in romanas leges et cerimonias inque linguam lati
alem indigenas cogerent. Testantur hoc urbes et
arces per litora reni per totam galliam ab ipso iulio uel
ipsius auctoritate fundate. uidelicet magontia. tuicium.
agrippina. iuliacum. octauia que et tungris nemetum que
et spira. alieque quam plures. quas propter operis compendium
et quia nota referimus enumerari longum est. De druso autem
testatur drusilatum in eo qui speciosus dicitur monte
situm. cui ex eo nomen inditum esse uoluerunt. quod sit
drusi latibulum habet enim opinio eum ibi esse sepul
tum. Homines quoque regionis a druso drusingi
antiquitus uocabantur. unde et adhuc quidam moderno
tempore ipso nomine drusingi nuncupantur. Consenti
unt huic assertioni etiam fastorum tituli qui principum
nominibus et gestis in perpetuam memoriam insculpti la
pidibus per totam urbem inueniuntur confracti et disiecti.
Hoc etiam astruunt adhuc superstites theatri ruine. quod
romano more ad ludos circenses et theatrica specta
cula constructum est.

Ad autem persecutione que per athilam hunorum regem
celesti iudicio christianis illata esse describitur contigit
eandem urbem ut adhuc res probat funditus euersam
concidisse et in ultionem heretice prauitatis diuino
permissu ignibus conflagrasse. Congruit hoc hieronimus in
epistola ad ageruciam excisam deflens nobilissimam urbem
moguntiacum. urbemque uangionum nemetum etiam et arge
toriacum. cum aliis pluribus ecclesiis et urbibus galliarum.

Postea uero quam misericordiam celi distillauerunt et diuina
miserante gratia a katholicis principibus reddita
pace. christi ecclesie conquierunt. mutato loco super litus reni a
quo prius ducentis plus minus passibus disparabatur est
restaurata et a francorum. regibus maximeque a dagoberto
in pristinam immo multo ampliorem dignitatem est reuo
cata. caput effecta regni orientalium francorum ac metropo
lis gallie germanieque cunctarumque urbium. cisalpinarum.
Gallicanis enim ecclesiis arriana impietate prophanatis
cum diuine animaduersionis flagellum per predictum athilam
hunorum usque ad internitionem esset concussis et easdem ecclesias
urbesque ad aurelianam arcem ab usque reno funditus
euertisset reddita ut premisimus pace sanctorum patrum cum tamen
de ordine ecclesiarum redintegrando ageretur apostolice sedis
auctoritas a quibusdam locis et archiepiscopatus apicem et pal
lii reuerentiam. a quibusdam uero primatus dignitatem censuit
transferendam. a nullis autem etiam kathedras iudicauit
esse mutandas. quarum nomina propter sublatam inde in
uidiam hic inserere fas non est. Alie enim earum funditus
erant euerse. et diuino comprobante iudicio in solitudinem
redacte alie uero et si diuinam senserant animaduersio
nem. adhuc tamen hereticum perfecte non correxerant errorem
Quas propter romane sedis induxit censura. illis in lo
cis kathedras institui. ubi et katholice fidei integra
esset unitas. et ecclesiastice religionis tranquilla securi
tas. Quia autem ab urbe magontiaco eo tempore primus
ueri solis radius per magnum illum bonifatium gallie
germanieque illuxit. et perfidie tenebras luce iudice pre
dicationis exclusit. cunctorum assensu adiudicauit
apostolicus pontifex gregorius. deinde zacharias magnum
bonifacium et sedem illi creditam primatus dignitate et
pallei honore perpetualiter insigniri. et per totam galliam
germaniamque in omnibus conciliis et ecclesiasticis conuenti
bus apostolica uice fungi. Unde ut in gestis francorum legi
tur annuente predicto zacharia apud suessionis fran
cigenarum urbem pippinum magni karoli patrem unc